

<http://notker-balbulus.leperlily.org>

Notker Balbulus
Liber Ymnorum

Commune Sanctorum
[N.39] – [N.44]

Clare sanctorum
senatus apostolorum,
princeps orbis terrarum
rektorque regnorum:

Ecclesiarum mores
et vitam moderare,

Quae per doctrinam tuam
fideles sunt ubique.

Antiochus et Romus
concedunt tibi,
Petre, regni solium.

Tyrannidem tu, Paule,
Alexandrinam
invasisti Grecias.

Aethiopes horridos, Mathee,
agnelli vellere,

Qui maculas nesciat aliquas,
vestisti candido.

Thoma, Bartholomee,
Johannes, Philippe,
Simon Jacobique pariles,

Andrea, Tathee,
dei bellatores incliti,

En, vos occidens et oriens,

Immo teres mundi circulus
se patres habere gaudet
et expectat iudices.

Et idcirco mundus omnis
laudes vobis et honorem
sanctis debitum
supplex impendit.

Agone triumphali
militum regis summi
Dies iste celebris
est populis
ipsi regi credulis.

Hi delectamentum
respuerant mundanorum

Et crucem tunc turpem
cottidie baiolarunt.

Hos nullius feritas
a Christo separat,

Quin ad eum mortibus
millenis properent.

Non carcer ullus aut catena
moliunt fortia
in Christo pectora:

Sed nec ferarum morsus diri
martyrum solidum
excavant animum.

Non imminens capiti
gladius territat

Fortissimos milites
optimi domini.

Nunc manu dei
complexi persequentum
insultant furoribus
quondam crudelibus

Et plebi Christi
solamen suppeditant
in cunctis laboribus
lubrici saeculi.

Vos Christi martyres

Nos valde fragiles

precibus nos iusto iudici
sinceris iugiter
commendare curate.

Tubam bellicosam,
quam dei non verentes servi

Procedunt ad bella geminis

Horrendum instructa hostibus,

Tuba mutemus consonae
[...]
vocis, socii,

Et quos virtutum meritis
socordes nequimus imitari,
pangamus melo.

Hos athletas summi dei
Est aggressus inimicus
multiformis nequitiae
Blandimentis fallacibus
a veritate avertere.
Ast illi cor sursum
ad dominum librando
sollerter dirumpunt tendiculas
trucis aucupis.

Tunc iratus hostis latens
Vim furoris in apertum
saeviendo evomuit
Armavitque membra sua
adversus dei milites.
Sed ipsi vincentes
omnimoda
poenarum genera

sua capita dicarunt
Christo regi laureanda.

Quid tu, virgo
mater, ploras,
Rachel formosa,

Cuius vultus
Jacob delectat?

Ceu sororis aniculae

Lippitudo eum iuuet!

Terge, mater,
fluentes oculos!

Quam te decent
genarum rimulae? –

Heu, heu, heu,
quid me incusatis fletus
incassum fudisse?

Cum sim orbata
nato, paupertatem meam
qui solus curaret:

Qui non hostibus cederet
angustos terminos,
quos mihi
Jacob adquisivit:

Quique stolidis fratribus,
quos multos, pro dolor,
extuli,
esset profuturus. –

Numquid flendus est iste,
Qui regnum possedit caeleste?
Quique prece frequenti
miseris fratribus
apud deum auxiliatur?

Rex regum,
deus noster colende!

Tu moderaris militiam
christianam

Bellandi gnaros horribili
proelio destinando,

Consules scios
rei publicae

Dando magistros
tuis populis.

Nec enim falleris,
eligendi sapiens,

Quem cui subrogas
ministerio, deus.

Ex quibus
est sacer iste sacerdos,

Qui in pace
degens ecclesiae sanctae

Consiliatus est,
qualiter hostis
irruptionem,

Quae solet incautis
sepe evenire,
praemunivisset.

Iste haereticis
invisus atque paganis
nec non regi omnium malorum

Gaudet se domini
participatum tenere,
hostes eius perferens cum illo.

Tu nobis triticum,
dispensator optime,

Doctrinae domini
impertire iugiter,

Caelestem
quatenus remeare patriam

Possimus
abundantibus alimoniis,

O miles dei praecelse.

Scalam ad caelos subrectam,
tormentis cinctam –

Cuius ima draco servare
cautus invigilat iugiter,

Ne quis eius vel primum gradum
possit insaucius scandere,

Cuius ascensus extracto
Aethiops gladio
vetat exitium minitans,

Cuius supremis innixus
iuvenis splendidus
ramum aureolum retinet –

Hanc ergo scalam ita Christi
amor feminis fecit perviam,
ut dracone conculcato
et Aethiopsis gladio transito

Per omne genus tormentorum
caeli apicem queant capere
et de manu confortantis
regis auream lauream sumere.

Quid tibi profecit,
profane serpens,
quondam unam
decepisse mulierem,

Cum virgo pepererit
incarnatum
dei patris
unicum dominum Jesum?

Qui praedam tibi tulit et
armilla maxillam forat,

Ut egressus Evae natis
fiat, quos tenere cupis.

Nunc ergo temet virgines
vincere cernis, invide,

Et maritatas parere
filios deo placitos.

Et viduarum
maritis fidem
nunc ingemis integram,

Qui creatori
fidem negare
persuaseras virgini.

Feminas nunc vides in bello
contra te facto duces existere,

Quae filios suos instigant
fortiter tua tormenta vincere.

Quin et tua vasa
meretrices dominus emundat

Et haec sibi templum
dignatur efficere purgatum.

Pro his nunc beneficiis
in commune dominum
nos glorificemus
et peccatores et iusti,

Qui et stantes corroborat
et prolapsis dexteram
porrigit, ut saltem
post facinora surgamus.

Notker Balbulus
Liber Ymnorum

Monasterium Sancti Galli
881 – 887

<http://notker-balbulus.leperlily.org>
